



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die quarta Meditatio prima. De iudicio universali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

reduxisti; & quod aliis præstitisti, non præstabis tibi metipsum?

Ora & obsecra tuum judicem nunc, cum adhuc fungitur officio Advocati, per pretiosissimum sanguinem, quem pro te fudit in monte Calvariae, ne te sinat perire æternum; & clama ad illum: Domine JESU Christe Fili DEI vivi, pone Passionem, crucem & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam nunc & in hora mortis meae, & mihi lagiri digneris gratiam & misericordiam, ac denique vitam & gloriam sempiternam. Amen.

Dies quarta

Meditatio septima.

De judicio universali.

Post orationem præparatoriam præmittes Meditationi sequentia duo præludia.

Primum esto, ut tibi imagineris, pandi tibi in valle Josaphat amplissimum, & vastissimum amphitheatrum, in cujus sublimissima parte conspiciendus sit Christus Regis instar in alto, splendido, & Majestatis pleno solio sedens; ad ejus dexteram assistat beatissima Virgo, instar Reginae; thronum cingant tota curia coelestis,

I

Ange-

Angeli, & Sancti omnes: infra Sanctos proximè magnus ille populus omnium Electorum. In area tandem hujus amphitheatri prorumpunt è suis caveis bestia ac ferae atroces, ut reos, ad feras damnatos dilacerent, & devorent, id est, sunt dæmones, & ingens turba reproborum totis artibus contremiscentes & timore exanimati in illo tot millionum & millionum hominum, & Angelorum conventu, totiusque curiæ cœlestis confessu.

Secundum sit, ut gratiam à Deo petas, quâ suffultus discas ex hoc tremendo iudicio, ita impostero vitam tuam institueres, ut cum hoc instituetur, locum inter electos obtineas altiorem, & securum in hoc teatro, & non ad faciem reproborum, qui ferale & terribile spectaculum toti in unum congregato mundo erunt, in profundum detrudaris: hunc in finem adhibe hæc verba Ecclesiæ: *Recordare Jesu pie, quòd sum causa tue viæ, ne me perdas illa die: Inter oves locum presta, & ab hædis me sequestra: vel adhibe sequentia: Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, dum veneris iudicare, noli me condemnare.* Utere his ipsis pro orationibus jaculatoriis hoc antemeridiano tempore.

Meditatio in hæc tria puncta dividi potest. 1. Quæ iudicium præcedunt. 2. Quæ illud comitantur. 3. Quæ illud subsequuntur.

Pun-

Punctum primum.

Considera ea, quæ præcedunt hoc iudicium universale, esse totius naturæ, ac mundi eversionem, & perturbationem, mortuorum resurrectionem, justorum à reprobis separationem, & iudicis adventum.

1. Signa, quæ tam à Prophetis, quàm ab Evangelistis describuntur, hunc decretorium iudicii diem præcedentia, & jam in foribus existentis nuntia, totum terrarum orbem sus deque vertent, calamitatibus & terroribus implebunt: Deus enim illatas sibi injurias vindicaturus, *armabit Sap. c. 5. creaturam ad ultionem inimicorum - - & pugnet cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

Sol obscurabitur: luna sanguineo rubescet colore: stellæ cadent de cælo; corpora cœlestia, omnes sideræ machinæ dissolventur: quatuor elementa, ex quibus terraqueus globus conflatus est, turbabuntur, & inter se collidentur, non aliter quàm appropinquante morte, quatuor humores humani corporis inter se pugnant, & internecina bella cient: aër densis obvolutus tenebris, non alio illustrabitur lumine, quàm momentaneis, & terrificis, quas fulmina evibrant, flammulis ac scintillulis: mare immugiet horrendum, nec se continebit am-

I 2 plus

plius intra præscriptos limites: terra stabilitatis, & gravitatis suæ oblita palpitabit, & titubabit sub pedibus hominum, unico motu integras, quamvis firmissimas civitates cum arcibus, turribus, domibus & incolis funditus evertet, & contumulabit: ignis ex quatuor mundi partibus prorumpens, mox in immensum se dilatabit, & instar maris, flammis totum orbem inundabit, ac brevi temporis spatio absument omnia, in cineres rediget omnia, arbores, agros, campos, palatia, urbes, aurum, thesauros, divitias, animalia, & homines: *terra, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* 2. Petr. c. 3.

Effundet tunc iram suam offensus Deus non secus, quam illam effundere solet, è longinquo itinere redux maritus Zelotypus, contra uxorem datæ, ac juratæ fidei immemorem, & perfidam, quam in flagranti, in adulterio deprehendit; hujus enim vindex furor non solum in adulteram desævit, sed in omnem etiam mundum muliebrem, in omnia ornamenta, in pretiosas ac speciosas vestes, in gemmas, monilia, in adamantinas inaures, in torques aureas, in uniones, in stibium, cerussam, in pyxides argenteas, in ipsa specula, & quidquid tandem ad turpes hos, & perfidos amores instrumentum esse, vel aliquid conferre potuit; hæc enim omnia confringit, dilacerat, discerpit, terræ allidit, pedibus conculcat, & tandem in flammam conjicit, Ita profecto
Deus

Deus irritatus iustum suum furorem effundet non solum in homines prævaricatores, sed contra creaturas omnes, quibus tanquam instrumentis usi sunt ad offendendum Deum.

Contemplare jam faciem mundi ita deformati, destructi, everfi, dilaniati, & in propriis cineribus sepulti, & disce, quanti sit mundus æstimandus, & mundi bona omnia, quibus tamen tantâ aviditate inhias, ea potissimum de causa, ut nepotes & consanguineos dotes, ac dites: disce æstimare sola bona opera, quæ nunquam pereunt: disce iusta lance ponderare gravitatem peccati mortalis, quæ cum tuâ etiam totius mundi ruinam secum trahit; immensum odium, quo Deus peccatum persequitur; nam hoc in causa est, cur Deus etiam innocentes creaturas irâ sua & pari ruina involvat, terram, elementa destruendô propter exile obsequium, quod suis offensoribus coactè potius, quàm sponte præstiterunt; sicut rex quandoque destruit, & funditus evertit domum illam, in qua perduelles subditi conjurationis telam contra suum dominum ordiri, & pertexere ausi sunt.

2. Omnia hucusque enarrata, sunt tantum *initia dolorum*, Matth. c. 24. Archangelus animabit tubam illam sonoram, omnesque mortuos citabit, ut compareant coram divino tribunali, & intersint iudicio generali; *tuba mirum spargens sonum coget omnes*

ante thronum. Ad feralem clangorem hujus buccinæ, qui tantum incutiebat terrorem doctorum maximo D. Hieronymo, mortui omnes virtute divina suscitati è suis resurgent sepulchris, postquam animæ suis corporibus nexu nunquam amplius dissolvendò denuo conjunctæ fuerint: & quamvis omnia corpora non manca, vel mutila suam sint habitura membrorum integritatem, non tamen omnia sunt easdem habitura qualitates, & proprietates. Reproborum corpora erunt deformia, foetida, horrida, instar titionum infernalium nigra. Corpora Electorum erunt pulchra, formosa, splendida, quatuor dotibus, quæ gloriosis corporibus propriæ sunt, exornatæ.

Quantus erit horror animæ reprobæ, reluctantis quidem coactæ tamen se tam foedito corpori, vel potius perpetuo carceri includere, & unire! quibus illud maledictionibus ad primum statim conspectum non incesset, & obruet! quàm acerbè ipsi obrudet, quòd jam cum ipso æternùm cogatur luere bestiales illas voluptates, quas ipsi indulgere importunis stimulis & impulsibus adacta fuerit. E diverso, quàm sincerò solatiò non perfundetur anima electa, cum recipiet corpus suum jam gloriosum! quantis illud excipiet benedictionibus, quòd omnia, etiam dirissima quæque toleranda invictâ patientiâ semper aptum se instrumentum exhibuerit ad cumulanda merita, ad coronam gloriæ,

ria, qua nunc unacum ipsa exornandum esset?

Omnibus nobis alterutro modo resurgendum, & in extremo iudicii die coram divino iudice, & universo mundo comparandum erit; quis præplacet? qualem credis futuram tuam resurrectionem? animos adde corpori tuo, & hortare, ut nunc lubens amplectatur pœnitentiam, mortificationem; ut toleret adversa, forti & constante patientia, sufferat dura & dira omnia; nam ita fortietur resurrectionem felicem ad percipiendam gloriam, & non infelicem ad tolerandam pœnam.

3. Immensa multitudo à morte suscitatorum in duas partes oppositas separabitur ab Angelis: *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum.* Matth. c. 13. Ecclesiasticus ille, qui videbatur sedulus pastor in vestimentis ovium, sed re ipsa lupus rapax, non poterit amplius se tegere fallaci velo, aut larvâ hypocrisiæ, non poterit amplius se indiscriminatim associare, & immiscere proborum Ecclesiasticorum cœtui; sed separabitur non aliter, quàm zizania à frumento, quàm palea à grano, & hærebit terræ affixus, reproborum sæci immixtus, attonitus, pavens, ac tremens; dum interea pars altera, nempe ingens Electorum exercitus in altum elevatur, obviam supremo iudici iturus, & venientem excepturus: *Rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra.* 1. Thess. c. 4.

Qua invidiâ non mordebitur sacerdos
I 4
ille,

ille, qui in terra hærens, lividis oculis contuebitur suum facellatum; Parochus ille, qui suum Parochianum; Confessarius ille, qui suum filium spiritualem; præsul ille, qui suum subditum in aëra inter Electos sublevare? Quæ fors in die illa tremenda te tanget? indubitatum, & certum de fide est, alterutram te manere: si autem in hac vita partes impiorum sequi eligis, ne speres, te in altera vita Sanctorum choro adnumerandum esse.

4. Sed en! cœlum aperitur; Filius DEI, lucida nubi insidens, ex alto demittitur; *in nube cum potestate magna, & Majestate.* Luc. c. 21. Sacratissimum ejus Corpus tam splendidum erit, ut ipse hoc illi comparatus, tenebricosus, & obscurus videri possit; ejus latus stipabunt Spiritus Angelici in suas Hierarchias, ac choros divisi, cum Angelorum Regina ad dexteram sui filii divini. Hanc copiosissimam processionem præcedit sacrum crucis labarum; ad hujus conspectum homines omnes in effusissimas prorumpent lachrymas; hi præ dolore, quòd illam fugerint; illi præ gaudio, quòd eam amplexi fuerint: *tunc parebit signum filii hominis in cœlo, & plangent omnes tribus terræ.* Matth. c. 24.

Ita rex gloriæ descendet in vallem Josaphat; & jam terræ vicinus conscensò suò tribunali jubebit assidere in primo quidem subsellio, virgineam suam Matrem, subinde Apostolos viròsque Apostolicos, ac religio-

los,

fos. In conspectu tam venerandi, & majestatis pleni confessûs adstabant timidi, & trepidi omnes impii, cernentque ringentes, in suos Judices constitutos, quos prius pedibus calcaverant, & acerrimè persecuti fuerant: summum terrorem illis incutiet vultus supremi Judicis torvus, & nihil nisi implacabilis iras, & minas spirans, ita ut malent montium collabentium ruinis obrui, quàm hunc terrificum aspectum sustinere: *tunc dicere incipient montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos.* Luc. c. 23. Quinimò ardentè optabunt potius in ipso sepeliri inferno, quàm trucem & furore nunquam amplius mitigando ardentem Dei, toties offensi, & palmaribus injuriis audacter, & pertinaciter affecti, faciem contemplari; illudque Jobi c. 14. repetent: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me?*

Huic tragoediæ tu quoque, qui hæc meditaris, aderis, quin etiam pars magna eris: roga Deum, ut has solidissimas veritates altum animo tuo imprimas, nam hæc te à peccatis abstrahent, & id apud te efficient, ut in vasto illo theatro non conspiciaris infami sceleratorum turbæ immixtus.

Punctum secundum.

Considera illa, quæ iudicium universale comitabuntur, & sunt potissimum hæc tria.

I 5

I. re.

1. revelatio conscientiarum sive cordium.
2. objurgatio judicis. 3. condemnatio reorum.

1. Dies ultimi judicii vocatur ab Apostolo : *dies iræ, & revelationis* ad Rom. c. 1. nam die illa à Deo omnium hominum conscientia, sive corda mundo aperientur, & publica, ut ita dicam, anatomia subjicientur : & sicut peritus anatomicus, ut symmetriam partium internarum corporis humani demonstraret, partes internas ex dissecto corpore evolvit super externas, atque ita partes ex natura sua patulas abscondit sub partibus alijs occultis; has verò facit patulas, omniumque oculis manifestas; ita hic ipse modus etiam observabitur in die extremi judicii. Exterior illa facies, sive apparentia Ecclesiastici, stolæ, mitræ, infulæ, pilei etiam rubri, insignia doctoratûs, fictitia probitas, simulata sanctitas disparebunt, latebunt, nec discerni poterit Parochus ab Episcopo, nec simplex Clericus à Cardinali. E contrario omnia interna, quæ hæctenus abscondita latebant, manifestabuntur; patebit turpitude, & deformitas picta, & mendacibus tecta coloribus: *confisa es in mendacio; unde & ego nudavi femora tua, & apparuit ignominia tua, adulteria tua, & hinnicus tuus, scelus fornicationis tuæ.* Jer. c. 13.

Si & tu ex illorum tribu esses, qui peccata sua excusant, extenuant, dissimulant, & fuce oblinunt, etiam in sacro tribunali,
scito

scito orituram tandem diem, quâ cogéris peccata tua cum extrema confusione, summoque pudore confiteri, & sincerissimè patefacere jam non in secreto, & uni tantum arctissimis silentii legibus astricto hominè clam in aures insufurrare, sed palàm universis hominibus & angelis in unum collectis. Aperientur sepulchra illa dealbata, quæ in sinu suo tam foetida fovebant cadavera; liquescent & diffluent nives illæ candidæ, quibus sordida ita teguntur sterquilinia, ut pulchritudine sua hortos & agros æquare videantur. Scindetur velum illud innocentiae fictæ, quo te contra communem infamiam tantisper defendit sollicita hypocrisis, & ita incidés in opprobrium, & ignominiam aeternam, quæ nunquam oblivione delebitur. Jer. c. 23.

Præveni hanc publicam confusionem exactissima animi tui discussione, & enucleatâ peccatorum tuorum confessione; nam sicut bona opera reproborum in publicum producta horum confusionem & vituperium augent, cum demonstrent eorum ignaviam supinam, & inconstantiam non perseverando in bene cœptis, nec amplectendo consilia ab ipsismet suggesta aliis, ita peccata Electorum manifestata non erunt ipsis probro, sed potiùs honori, quippe qui noverint ex hoc veneno tam salubrem medicinam, ex hoc fimo tam pulchros flores & dulces pœnitentiæ usque ad mortem constanter protractæ fructus educere. Si fortassis nunc
non

non satis comprehendis, quanta sit futura confusio hominis coram toto mundo prostituti, & omnium hominum contemptui, & ludibrio expositi, eam fortè ob causam, quòd tua tibi peccata non adeò videantur deformia, imò ad hæc etiam ridere vel omnino te jactare publicè audeas; notum tibi fit, quòd lumen sapientiæ divinæ in die illa non solummodo numerum, sed etiam malitiam tuorum peccatorum clarissimè sit manifestaturum: *manifestabit consilia cordium*. Viden peccatum ex profundis cordis latebris protractum: & *illuminabit abscondita tenebrarum*. 1. Cor. c. 4. Viden turpitudinem, & malitiam peccati, hætenus in obscuris ignorantiz tenebris latentis detectam!

Ride jam, & in jocos converte delicta tua; tunc enim verò, quando sæculum tuum positum fuerit in lumine divini vultus, agnosces tandem, quàm deformia, & abominanda hæc fuerint, pete à Deo radium de illo lumine, quòd in illa die erit aptissimum instrumentum ad augendum pudorem peccatori, coram omnibus hominibus prostituto, & confuso; nunc autem stimulus esse potest ingens poenitentiz, à contrito & compuncto peccatore suscipiendæ.

2. Crescet erubescencia & confusio, quæ aliàs jam ex desperatis reproborum vultibus undique prorumpit, cùm audierint acerri-
mas objurgationes, ab exasperato iudice, qui suam beneficentiam ipsorum ingratitude
oppo-

opponet, protectas: Ego, dicet voce interna, omnibus perceptibili, & intelligibili, vos creavi ad similitudinem meam; & vos deformastis, erasistis hanc animæ vestræ insculptam imaginem divinam: assumpsi naturam humanam, & in vicino colle post vitam laboribus, & doloribus plenam, per triginta tres annos actam, & exantlatam, hanc ut vos redimerem, pro litro obtuli; & vos sanguinem meum conculcavistis. Instruxi vobis basilicas epulas ex meis carnibus in Sacramento Eucharistiæ; & vos cucurristis ad cœas, & ollas Ægyptiacas. Obtuli vobis medium, ostendi vobis viam in Sacramento Pœnitentiæ facilem, mecum redeundi in gratiam, & redintegrandi pristinam amicitiam; invitavi, vocavi vos toties per inspirationes internas, nunc alliciendô vos promissionibus; aliàs terrendô vos minis; & vos surdis auribus elusistis voces meas. Exaltavi vos ad dignitatem sacerdotalem, ut mei essetis ministri; & hic ipse gradus tam sublimis vobis stimulo esset ad vitam emendandam, & statui vestro congruam ducendam; & tamen plurimos nunc invenio sæculares, vobis longè probiores: *Quid debui ultra facere, & non feci?* Isa. c. 5.

Qualis confusio, ait S. Joan. Chrysoft. quantus pudor in illo tempore non obruet Clericos, & sacerdotes, quando in opprobrium suum cernent quàm plurimos sæculares, qui longè ferventiùs, fideliùs & perfectiùs

Deo

Deo serviêrunt, quàm ipsi, *magna confusio sacerdotum, & omnium Clericorum, quando Laici invenientur fideiores, & iustiores: Hom. 3.* Neque tunc pro scuto, ut modò solent, opponere poterunt propriam debilitatem; nam scutum hoc debile facilè pertundet objecta ipsis à Christo Martyrum invicta fortitudo, & constantia: non propriam fragilitatem, contra quam militabit inexpugnabile robur sacrarum virginum, longè debilioris sexûs, tenerioris, & minùs maturæ ætatis.

Quid tu ad has objectiones, & objurgationes respondere poteris, præsertim si tot aliæ accusationes accesserint hominum proborum, petentium vindictam tot damnorum sibi illatorum, scandalorum sibi datorum, tot obstaculorum in via salutis sibi à te positorum, dum potius obligatio tui officii & statûs te obstringebat omnes in via salutis obices remove, & hanc reddere facilem. Cor tuum penetrat objurgatio, vel admonitio facta soli, à solo intra privatos parietes, & flocci pendis, in aërem contemptim excutis, nec cogitas, quibus objurgationibus ab ipso Christo nisi maturè caveas, excipiendus his ante faciem totius mundi.

3. Sententia condemnatoria exprimetur paucis illis verbis, quæ tamen cœlum & terram tremefacient: *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Matth. c. 25.* Hanc jam confide-

siderâsti in præcedente meditatione; hanc tamen iterum recoque, rumina, & perpende, hanc sententiam fore justissimam, irrevocabilem, terribilem, contra quam nec excipere, nec ad aliud tribunal provocare, aut appellare fas sit, ab omnibus & singulis amplissimi illius confessûs membris communi approbatione stabilitam.

Erit justissima, nam iudex nec ob sinistram aliquam animi propensionem, quæ ipsum præoccupet, nec ob ignorantiam, quæ ipsum excæcet, errare potest: *reddet unicuique secundum opera sua.* Apoc. 22. non erit obnoxia ulli appellationi; nam iudex est supremus, nec ulli tribunali altiori subiectus; erit terribilis; non enim agitur de hæreditate aliqua misella perdenda, aut de exiguo cespite, & quatuor palmis terræ, aut de vita temporanea, ense carnificis, fune, vel etiam rotâ in ferali pegmate finiendâ: agitur de amittendo bono, vel incurrendo malo æternùm duraturo; & hæc sententia horrenda, & terribilis concorde totius universi approbatione, & applausu excipietur.

Virginea DEI Mater dicet: æquissimum est: ineptè sibi persuaserant isti, præfidentes certis aliquibus devotiunculis, simulatis potius, quàm veris, quibus me colere videbantur, se impunè scelera sua prosequi posse, sub mea quodammodo tutela, & patrocinio, pietatem meam maternam in omnium

nium

nium impietatum fomentum & illicitum convertentes; nunc proprio damno discant, & alios doceant, Mariam fuisse, & etiamnum esse refugium peccatorum illorum, qui cupiunt & quarunt se emendare, & convertere à viis suis pessimis; non autem illorum peccatorum præsumptuosorum: qui Paradisi gaudia, æternam salutem solâ meâ intercessione sibi comparare summâ temeritate conantur.

Huic Marianæ ratihabitioni sine hæsitacione subscribet etiam Angelus custos, attigisti tandem, dicit hic, anima reprobra, tremendum illum perditionis terminum, quem toties tibi minitatus sum: clausisti aures meis adhortationibus, & eas aperuisti solis diaboli malesuadis suggestionibus, tergum mihi impudenter obvertens: ito jam, ito, nam & ego te desero. *Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam.* Jerem. c. 51.

Subinde totus ille, maximus mundi totius confessus electorum omnium stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Sap. c. 5. & altis vocibus comprobabunt momentosam hanc & decretoriam sententiam. Vos, inquit, derisistis & ludibriis excepistis nostra consilia, nostras exhortationes, nostras fraternas correctiones, nunc & nos deridemus præteritas vestras irrisiones, & fannas, ridemus inanes lachrymas, & planctus vestros: ite, ruite in infernum, quem

vos

vos vel non credidistis, vel modicè timuistis. Experiemini jam, an fuerit, & sit fabulæ anilis illud, quod credere nolulistis; an sit malum levè & exiguum, quod non timuistis.

Ipsi adèò dæmones horrendis ululatibus justissimam proclamabunt hanc suprèmi iudicis sententiam, ingenti superbia & ferocia insultando condemnatis; & ipsi tandem reè hanc approbare cogentur à propria conscientia convicti, probè gnari suorum delictorum, & reatum, nec contra hanc hiscere, aut minimam excusationem afferre audebunt, sed intra seipfos sibi occident lamentabile illud carmen Sap. c. 5. *Nos insensari... quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra, & nos in malignitate nostra consumpti sumus.*

Tu qui has veritates perpèndis, tempus habes idoneum, tam magnum & præsentaneum periculum amoliendi, cui expositus es; nunc ratiocinia tua ini; conscribe, consolidà; nunc redde rationem villicationis tuæ; nihil incertum reserva, & salutem tuam, quantum fieri potest, in tuto loca: hoc unicè agito, ut in illa die faventem & clementem obtinere possis sententiam.

K

Pun-

Punctum tertium.

Perpende illa, quæ post latam sententiam, finitumque supremum iudicium sequentur, his verbis comprehensa: *Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.* Matth. c. 25.

1. Cùm à sacra inquisitione, vel aliàs sacerdos aliquis ad mortem condemnatus est, post latam sententiam brachio sæculari sive potestati laicæ consignatur, ut ad rogam cremandus, vel ad aliud supplicium abripiatur; eodem modo impii post promulgatam sententiam consignabuntur dæmonibus, ut cum corpore & anima abripiantur in infernum semper & in æternum arfuri.

Interim tibi imaginare, te videre dæmones effræni ferociâ tanquam carnifices, & divinæ justitiæ ministros efferatos involare in miseros illos reos, eosque turmatim per varios terræ se sponte aperientis hiatus, & voragines in ignes infernales detrudere, quamvis non opus sit, ut à dæmonibus portentur, aut magnâ vi impellantur; nam immani peccatorum suorum pondere tracti, sponte sua in inferni fundum ruent præcipites: *ibunt in supplicium æternum.*

Postquam damnati homines, dæmonesque simul permixtim in abyssum infernalem ruerint, de novo vastæ illæ voragines, quas

quas terra velut tot ora, ac fauces aperuerat ad eos absorbendos, non solum claudentur, sed insuper obfignabuntur sigillo, cui æternitatis symbolum insculptum est, immutabilis decreti divini: manebit itaque infelix illa reproborum fax in carcere illo terribissimo inclusa, omni spe penitus interclusa, inde unquam exeundi, lucem, vel minimum solis radium videndi, inter perpetua tormenta, quæ nunquam cessabunt eos cruciare, & consumere, quamdiu DEUS erit DEUS. Hæc credere, & vitam ducere in peccatis, stultitia est, quâ major excogitari non potest, Expergiscitor ex illa maledicta, & temeraria animi securitate, quæ tibi omnem timorem eximit maximi illius periculi, quod tamen timuerunt, & horruerunt semper etiam Sanctorum maximi.

2. Eo ipso tempore Electi cum Rege gloriæ ascendent ad cælum ibidem fruituri beatitudine æternâ: nec credas, eos commiseratione aliquâ tangendos erga illos, qui tanto numero in infernum præcipitabuntur; gaudebunt potius, & lætabuntur videntes, quòd æqua vindicta sumatur de tot probris, & injuriis Deo illatis. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam* Ps. 57. canentque hymnos gloriæ pleno gutture Deo triumphum ducenti de profligato peccato.

Quando populus Israëliticus omni defunctus periculo, è litore vidit in mari rubro submersos persecutores Ægyptios,

K 2

Moy:

Moyſes cum ſuo populo decantavit DEI victorias, & iter iniit adverſus terram promiſſionis. Ita credito, chorum Beatorum omnium, è tuto cœleſtis patriæ littore proſpectantium in rubrum flammaram infernallium mare demerſos Dei hoſtes, lætiſſimis vocibus divinas laudes, glorias, & triumphos cantaturum; dùmque ſenſim terræ promiſſionis, id eſt cœlo appropinquant, dicent ad invicem: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt . . . Curram Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare . . . Abiſſi operuerunt eos; descenderunt in profundum quaſi lapidei* Exod. c. 15. Quanta lætitia, quanta jubilatio tunc non erit Beatorum? econtra quiſ furor, quæ rabies, quæ invidia, & deſperatio damnatorum, ſerò nimis ejulantium: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei . . . ergo erravimus.* Sap. c. 5.

Tu, ſi ſapis, ut tuus à te ſtatuſ exigit, tamdiu & in longinquum non differes tuos agnoſcere, deſlere, & emendare errores. Recurre ad tuum judicem, dum adhuc partes tuas agit, & ſuſtinet perſonam non judicis, ſed ſeduli advocati, & dic:

Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine: quia nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio, non ergo me tua judicialis ſententia premat, ſed gratiâ tuâ mihi
ſuc.

lucurrente mereat evadere iudicium ultionis, qui dum vivo, insignitus sum signaculo sanctissimæ Trinitatis: qui vivis & regnas &c.

Dies quarta

Meditatio octava.

De inferno.

PRæmissæ orationi præparatoriæ subjunges hæc duo præludia.

1. Finge te videre vastissimum carcerem in centro terræ excavatum, mille circiter, vel ultra leucarum germanicarum cubicarum, sive quadratarum, & in hoc conclusum mare ingens flammarum, in quo demersi, piscium instar, natent, vel potius condensati hæreant reprobi: imaginare tibi corpora instar ferri candentis, ab igne, tanquam tot spongas, penetrata, ita ut ab ipso igne satis discerni non possint, prout in ferro candente ignis à ferro, & hoc ab illo distingui non potest.

In præludio secundo gratiam pete à Deo, ut ex illo igne infernali saltem scintilla aliqua profiliat, quæ mentis tuæ oculos tam clarè illuminet, ut pœnas illas infernales